Nobilissimo Viro
Constantino Hugenio Equiti
Caspar Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Latius in deprædicanda regia liberalitate, aut si mavis magnificentiâ exspaciatus fuissem, Hugeni clarissime, nisi studio hac omni de re obscurius ad te perscripsisset Oldisworthus. Nec enim ausus fui explicatius loqui, ne vel inanes spes temere vovisse, aut confidentius quidquam mihi promisisse videri possem. Verum cum omnino statuam, eâ esse virum istum animi integritate & prudentia, ut ne illa quidem scribere in animum induxerit, quae scripsit, & merum credas aliquid sub isto verborum involucro promitti, hic illic litteras interpolavi, et beneficij regalis mentionem feci, quod nec omnino silentio praeteriri fas fuerit, nec nimis etiam, ~~aut~~ idque intempestive, extolli; ne necessitatem remunerandi ipsis imponere velle videar, aut regiae munificentiae quicquam impudentius praescribere. Omnino decrevi operosiore sermone uti, quin etiam carmine affari Comitem Pembrociae, et adventantem Killigrewum, (nisi quid tu docte Probati dissuaseris.) ubi de regia voluntate propius constiterit. Itaq. Vale Vir integerrime & mei studiosissime, quem si Mecoenatis loco coluero, nec tuis quicquam meritis, nec mea sorte indignum fecero. Raptim. vi Calend. Jun. 1626.

Si iam placeant litterae tuo sigillo [illegible] impresso ~~et~~ obsigna.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/318

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/318

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/318

Nobilissimo viro
Constantino Hugenio
Principi Auraniorum
à secretis

Barlæus.

Hagam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/318